

11. 7.



An 12

DE
LAETISSIMAE RESVRRECTIONIS
SPE CERTISSIMA
VT
CONTRA DOLORES EX PIORVM OBITU
ANODINO OPTIMO
AD I THESS. III, XIII.
COMMENTATIO.

M E M O R I A E
VIRI ILLVSTRIS EXPERIENTISSIMI
AMPLISSIMIQVE
IO. GOTTLÖB KRÜGERI

MEDICINAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET VTRIVSQVE IN ACADEMIA
IVLIA CAROLINA PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII ACADEMIAE CAESAREAE
NATVRAE CVRIOSORVM ET REGIAE BORVSSICAE SCIENTIARVM COLLEGAE
SOCIETATIS TEVTONICAE REGIAE GÖTTINGENSIS
ET DVCALIS HELMSTADIENSIS
SODALIS

VIRI MERITISSIMI
BRVNSVIGAE D. VI. OCT. A. MDCCLIX.
PRAEMATVRA MORTE EXSTINCTI
CONSECRATA

A
PIE DEFVNCTI COGNATO ET AMICO
CHRISTOPHORO AVGVSTO BODIO

LINGG. O. O. IN ACAD. IVL. CAR. P. P. E.

HELMSTADII
LITTERIS SCHNORRIANIS,

LAETISSIMAE RESURRECTIONIS
SPE CERTISSIMA

CONTRA DOLORES EX MORVM ORTV
ANODINO OPTIMO

AD I THESS III. XIIII
COMMENTATIO

MEMORIAE
VIRI ILLUSTRISSIMI EXPERIMENTISSIMI
AMALTHEUSII

IO. GOTTLIB KRUGERI


MEDICINAE AC PHILOSOPHIAE DOCTOR ET CENSURAE IN ACADEMIA
VITAE CAROLINA PRAGENSIS ET FACULTATIS MEDICINAE
NATURAE CURIOSITATEM ET ILLARUM QUAE IN ANATOMIA
SOLICITE TRACTATAE SUNT

BRUNSVIGAE D. VI OCT. A. MDCCCLX
PRAEMISSA MORTE EXACTISSI
CONSUECIT

CHRISTOPHORO AVGVSTO BODIO
PIE DEVOTISSIMO COGNATO ET AMICO

HELMSTADII
LITTERIS SCHOLASTICIS





riste quoddam et illaetabile officium
 persoluto, in mentem mihi vene-
 runt, aptissimaque visa sunt, quae in
 usum meum converterem, illa divi
 Pauli: Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί,
 περὶ τῶν κεκοιμημένων, ἵνα μὴ λυπήσθε,
 καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα.

*Nolo vero vos ignorare, fratres, de iis qui obdormive-
 runt, ut ne contristemini, sicut et reliqui, non habentes
 spem. 1 Theff. III. 13.*

Praefatiunculam haec sistunt totius, de futura
 mortuorum fidelium resurrectione, ut optima quae-
 vis praefagiente, ideoque ad mutuam consolationem
 in illorum morte adhibenda, institutionis sequentis,
 v. 14-18. in duas partes dispartendam. Prior institu-
 tionem de mortuorum fidelium resurrectione ipsam
 indicit verbis: *nolo vero vos ignorare, fratres, de
 iis qui obdormiverunt.* Posterior huius institutionis fi-
 nem

IV

nem subiungit verbis reliquis: *ut ne contristemini, sicut et reliqui, non habentes spem.* Illa Oraculi pars tres denuo comprehendit partes minores, in verso ordine considerandas.

Medium quidem locum tenet, sed primo excutienda est, lectorum compellatio et denominatio: *ἀδελφοὶ fratres.* Compellatione quadam usus est Apostolus, qua supersedere potuisse videri posset; partim, ut novae tractationis initium indicaret, partim, ut lectorum suorum attentionem excitaret: quod utrumque eiusmodi compellationes alibi subinnuunt, Iac. II, 14. IV, 11. Fratrum vero denominatione usus est, cum alia aequae recta uti potuisset, si utrumque illud intendisset tantum; non quidem propter ullam cognationem carnalem; nec proximam uterinam et germanam, quae omnium minime hic locum habet, Matth. IV, 18. nec propiorem, qua homines sanguine propius coniuncti fratrum nomine veniunt, Matth. XII, 46. 47. nec remotiorem, qua contribules et populares fratres salutantur, Rom. IX, 3. Act. III, 22. nec remotissimam, qua omnes homines fratres sunt, Matth. V, 23: sed propter cognationem spiritualem, qua fideles omnes et soli inter se continentur; quippe per regenerationem unum patrem Deum unamque matrem ecclesiam adepti, Gal. III, 26. IV, 26. eiusdem paternae naturae et indolis, non minus quam eorundem iurium bonorumque paternorum participes, II Petr. I, 4. I Cor. II, 16. Eph. IV, 4-6. Rom. VIII, 17. et amore vere fraterno se invicem complectentes, I Io. III, 14 seq. Scilicet est ea fidelium denominatio, qua ob cognationem spiritualem, carnali simillimam, fratres dicuntur, sororibus synecdochi-

dochice inclusis, denominatio antiquissima, cui ipse Ser-
uator occasionem dedisse videtur, Matth. XII, 48. sq.
XXIII, 8. XXVIII, 10. a primaeva ecclesia Apostolica ma-
ture recepta, Act. XI, 1. deinceps vero conservata, Io.
XXI, 23 hincque scriptoribus sacris N. T. et maxime qui-
dem Paulo, frequentissima. Atque frequentissimum
huncce denominationis illius usum huius quoque loci
esse, ipsa totius institutionis adhortationisque subiun-
ctae ratio confirmat, tanquam lectores fideles, ut capa-
ces, praesupponens, hos prae aliis obligans, et in eos-
dem maxime quadrans. Itaque Apostolus adhibita fra-
trum denominatione simul propius determinare voluit,
quinam et quales lectores sint, cum quibus, ipsi hic pro-
prie res sit. At tria sub eadem denominatione adhuc
latitant, non negligenda. Vnum horum est, quod A-
postolus lectorum suorum benevolentiam, ut rhetores
vocant, captare, et institutioni adhortationique suae
viam in animos eorundem pandere voluit; idque eo
magis, cum ignorantiam lectoribus tribuat, quod non
minus carpentis, quam excusantis esse potest. Enim-
vero denominatione ista haud obscure professus est:
non esse quod lectores vel quidquam mali de ipso sus-
piciantur; ipsum cum illis agere, non ut ignotum
quendam, nec ut superiorem, pro auctoritate aposto-
lica edicentem, sed ut bene notum, aequalem, quin-
immo fratrem, qui illos ob ipsam eorum fraternam
relationem, non obstante infirmitate reliqua, suspiciat,
tenerrime amet, ideoque illos in ignorantiae valde
noxiae statu relinquere nullus possit; quamobrem,
quemadmodum institutio ipsius ex optimi animi fon-
te proficiscatur, ita quoque ab illis sic excipi debeat.

Alterum illorum est, quod Apostolus, denominatione vel duodecima vice in Epistola hacce hoc loco iam adhibita, adfectus illius erga lectores, quo cor eius ita plenum erat, ut quavis occasione exsuperaret, magnitudinem, certitudinem, constantiam, et incrementum continuum significavit. Vltimum vero est, quod lectores officii admonuit, exemplo modestiae, συγκαταθέσεως, et inprimis Φιλαδελφίας, qua Apostolum vicissim, et se invicem; immo omnes fideles profequi debeant, ad imitationem illis proposito.

Lectorum compellationem et denominationem proxime excipit obiecti institutionis Apostoli aequae ac ignorantiae lectorum, illam efflagitantis, significatio, verbis περὶ τῶν κοιμημένων, de iis qui obdormiverunt, facta. Praepositio περὶ, in se πολύσημος, hic, ut alibi saepius, obiecti nota est; sive per de simplicissime reddenda, sive per quod attinet ad circumscribenda et explicanda, I Thes. V, 1. I Cor. VIII, 1. Rom. I, 3. Verbum vero κοιμάομαι, cuius Participium Praeteritum hic ipsum obiectum constituit, proprie quidem somnum naturalem dormire, vel obdormire, denotat, Matth. XXVIII, 13. Luc. XXII, 45. Act. XII, 6. improprie autem, per elegantissimam quandam Metaphoram, et in oppositione ad vitam mundanam, quae vigilatio dicitur, I Thes. V, 10. ad mortem naturalem hominum, exclusis bestiis, et quidem tam hominum in genere, I Cor. VII, 39. XI, 30. XV, 20. II Petr. III, 4. quam piorum in specie, quod posterius priori frequentius est, Matth. XXVII, 52. Io. XI, 11. Act. VII, 60. XIII, 36. transferatur. Atque hic tropus non solum apud sacros V. et N. T. sed apud ipsos quoque diversarum linguarum profanos scriptores, maxime in poetico scripturae genere, est

est frequentissimus. Rationem autem si quaerimus; haec a varia, quae morti naturali cum somno naturali intercedit, similitudine, et propter quam mors somni frater vulgo dicitur, repeti debet; licet nec sacri nec profani scriptores ad omnes illas similitudines semper et ubivis respexerint. Primo, hominum dormituro- rum et dormientium positus corporis in longum ex- tensus, qui ipse ad placidam quietem corporisque re- creationem haud parum facit, mortis quandam imagi- nem praebet; unde et idem Verbum Hebraeum דדפ, quod de communi illa ad somnum placidum praepa- ratione, et compositione corporis, decumbendo facta, aequae ac de ipso decubitu fuso, vel in longum exten- so, proprie dicitur, ad mortem quoque transfertur, Prov. III, 24 Iob. III, 13. VII, 21. Secundo, altissimum silentium, et securitas quiesque suavissima, cum ex- ternorum motuum sensationumque absentia, qua et omnium malorum apperceptio tollitur, coniuncta, tanquam proximi somni effectus, mortem etiam refe- runt, Ies. LVII, 2. Ap. XIV, 13. Tertio, corporis ani- maeque inter dormiendum perduratio adumbrat: nec ipsum corpus morte prorsus interire, siquidem hoc saltem in partes suas simplicissimas, a Deo in mundo conservandas, resolvitur; nec animam etiam perire, tanquam morte a corpore suo tantum separatam, et cum hoc resoluta olim denuo coniungendam. Quar- to denique, dormientium post aliquod tempus evigi- latio et resurrectio, cum notabili corporis somno refe- ti restoratione coniuncta, egregie praefigurat mor- tuorum in die novissima evigilationem et resurrectio- nem, cum ipsorum corporum insigni glorificatione

CON-

VIII

coniungendam. Atqui ex iis quae haecenus sunt prolata abunde constat, non solum quod mors improprie somnus dicatur, sed et quare sic dicatur. Iam vero etiam in nostro Oraculo Verbum κοιμάομαι improprio illo significato gaudet. Demonstrat id tota sequentis orationis compages, velut in qua, de eorundem τῶν κοιμημένων, ut mortuorum, in die Domini evigilatione et resurrectione futura, haud ambigue differitur; atque, qui hic οἱ κοιμημένοι, et paulo post, v. 14. 15. alio eiusdem Verbi flexu, οἱ κοιμηθέντες improprie dicuntur, etiam τῶν νεκρῶν mortuorum nomine quasi proprio v. 16. veniunt, vivisque superstitibus opponuntur. Ad pios tamen mortuos orationem suam restringere voluisse Apostolum, praeter eiusdem orationis scopum consolatorium, ipsamque mortuorum resurrectionem, ut laetissimam descriptam, evincunt locutiones διὰ τῆ Ἰησοῦ et ἐν Χριστῷ, illis οἱ κοιμηθέντες et οἱ νεκροὶ superadditae, v. 14. 16. coll. I Cor. XV, 18. Ap. XIV, 13. Rom. IV, 11. et non nisi de piis, qui tum in unione cum Christo moriuntur, tum propter Christum ipsorumque cum hoc communionem moriuntur, vel saltem ad eiusmodi mortem prompti paratique sunt, explicandae. Caeterum Apostolus hic quidem pios mortuos tantum nominat, in ipsa vero sua institutione describit eorundem statum illum beatissimum, quo ab ipso Domino, in die novissima cum maxima pompa ex coelo in terram descensuro, e morte resuscitati, ad eundem colligentur, et cum eodem sic in aeternum erunt, intuitively et immediate Domino fruentes; cum respectu tamen ad illum resurrectionis, ut evigilationis ex somno, statum voce impropria τῶν κοιμημένων hic maxime utitur, Obie-

Obiecto institutionis Apostoli, et ignorantiae Thessalonicensium, praefigitur ratio Apostoli erga illud obiectum, Thessalonicensium relationi respondens, proponiturque verbis initialibus: *οὐ θέλω δεῦν ὑμᾶς ἀγνοεῖν, μή ποιο* *vero vos ignorare, Rom. I, 13. XI, 25. I Cor. X, 1. XII, 1. II. Cor. I, 8.* Vocula δὲ hic vel saltem novae tractationis initium pleonastice significat, II. Cor. VI, 1. vel, si nativa eius *adversandi* vis premitur, adfectum vehementiorem pro-
dit, cuius signum eiusmodi particulae, in orationis initio positae, esse solent, Luc. II, 15. Reliqua verba, pauca quidem, sed foecunda admodum, si iusta eorum instituitur *ἀνάλογοις*, quatuor momenta praecipua, totidemque propositiones, in se continent. Nempe his verbis asserere voluit Apostolus 1) Thessalonicenses beatissimum illum mortuorum piorum statum, statim describendum, tanquam rem, quae *τῷ νοῦ* *mente* tantum applicata, ex revelatione divina, in sacris litteris facta, et a legatis divinis confirmata, a quolibet cognosci possit, atque a quibusdam, apud quos ut notum quid et indubitatum supponi queat, etiam cognoscatur, non ignorare omnino posse, immo et debere. 2) Eosdem vero, quod mirum videri debeat, illum statum hucusque quidem ignorasse, ceu vel ex immodica eorum tristitia colligi possit; saltem cognitionem eorum, si quam habuerint, valde imperfectam, insufficientem, incertam, et minus vivam fuisse; sive illos *τὸν νοῦ* *mentem* h. e. facultatem suam cognoscitivam ad rem illam cognoscendam ita nondum applicasse, ut hanc rem tam diu legitime et attente expendere, donec eandem cognoscerent, et intelligerent: quae prima Verbi *ἀγνοεῖν*, ex primitivo *νοεῖν*, et *οὐ* privati-

B

vo,

x

vo, interposito γ, quippe compositi, notio est, unde altera *non cognoscendi et intelligendi* per Metonymiam demum originem traxit; sive et qualiscunque cognitionis suae ne quidem semper conscios memoresque fuisse, multo minus cognitionem ad usum salutarem revocasse, et tota agendi ratione demonstrasse: quae itidem Verbum *αἴσθησις*, ut Verbum notitiae cum affectu et effectu accipiendum, denotare potest. 3) Ignorantiam istam Thessalonicensium, tum ipsorum maxime, tum aliorum quoque respectu, esse noxiam et periculosam, cognitionem contra rei cognoscendae perutilem, immo necessariam; et quidem illud ob nexum rei cognoscendae, eiusque ignorantiae et cognitionis, cum liberis actionibus evidentissimum. 4) Ipsimet Apostolo, nexum illum vel influxum perspicienti, non perinde esse posse, num Thessalonicenses ignorantibus sint et maneant, vel minus; ipsum hanc ignorantiam non approbare, multo minus tacendo promovere velle, ut lectores forte putarent; quin potius, quae locutionis negativae et Praesentis Temporis vis est, ipsum vere certe et constanter contrarium ex animo serioque velle atque optare, ut nempe illius status vel scientissimi essent, aut evaderent; hincque praevia meditatione, optimaque cognitione, institutionem Thessalonicensium, ut utilissimam sibi visam, decrevisse, immo iam in eo esse, ut firmum illud animi propositum exsequatur; unde itidem in Praesenti loquitur.

Priore Oraculi nostri parte principe hactenus expensa, expendenda quoque nunc est posterior, finem vel scopum institutionis Paulinae exprimens verbis:

ivæ

ἵνα μὴ λυπήσθε, καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα ut
ne contristemini, sicut et reliqui non habentes spem sc.
 contristantur. Distingui in his possunt duae partes
 minores; quarum una locutionem primariam, altera
 secundariam efficit. Primaria locutio, ipsum finem
 maxime exhibens, verbis *ut ne contristemini* com-
 prenditur. Ut horum verborum sensum plane et
 pleno assequamur; de tristitia propter mortem, tam
 propriam, quam alienam, varia sunt praemittenda.
 Tristitia in genere ex intuitiva mali cognitione oritur,
 ipsaque mali sensatione ingrata notabili absolvitur.
 Atqui tristitiae adfectus, partim praesentiam vel immi-
 nentiam mali, quod aequae adparens ac verum esse
 potest, partim cognitionem mali, sensationemque
 eiusdem ingratam notabilem, sive, ut aliquod malum
 cognoscamus, illud pro tali habeamus, eiusque tae-
 dio afficiamur, includit. Iam mors naturalis ipso-
 rum piorum, in se et hoc illoque respectu considerata,
 omnino varia habet, propter quae mali notam non ef-
 fugiet. Est illa qua ipsam primam originem peccati
 consequens et poena; proxime illam antecedunt mor-
 bi dolorifici, et cum primis agon, vel conflictus mor-
 tis cum vita ultimus, idemque vehementissimus; pro-
 xime illam consequuntur, qua corpus exanimatum,
 mutationes ab hoc subeundae formidabiles; denique,
 respectu vivorum superstitum, cum detrimento, et
 privato et publico, utroque saepe fati insigni, mors
 coniuncta est; ut plura huius generis taceam. Si ve-
 ro illa sunt mala, ut sunt profecto verissima, quam
 primum eadem intuitive cognoscimus, non potest non
 in nobis oriri dolorifica sensatio. Itaque aliqua pro-
 pter

pter mortem tristitia et mortis et animae humanae
 naturae maxime est consentanea. Quidni vero tristi-
 tia sic naturalis etiam esset licita? Fuerunt quidem
 inter ethnicos, qui ex erroneo virtutis conceptu ho-
 mini sapienti insensibilitatem quandam contra quae-
 vis mala praeceperunt. At haec insensibilitas, con-
 stantiae et magni animi nominibus ab illis perperam
 insignita, cum potius vel stupor sit, vel praeternatu-
 ralis quaedam feritas et inhumana crudelitas, si quo-
 que praconceptis opinionibus, consuetudine et co-
 actione acquiri tandem posset; de quo vero apud ip-
 sos illos Magistros dubitandum, verendumque, ne ip-
 sorum insensibilitas mera fuerit iactatio et dissimula-
 tio, tamen per se ne licita quidem esse potest, tantum ab-
 est ut ad eam obligemur. Ipsa quoque Scriptura sacra
 insensibilitatem vitii aperte adnumerat, Ier. V. 3. Rom.
 I. 37. Statuendum ergo potius, sensibilitatem quandam
 esse licitam, immo debitam. Ad hanc vero etiam pertinet
 aliqua propter mortem aliorum tristitia. Exempla bi-
 blica sanctorum hominum, quorum similis ob aliorum
 mortem tristitia sine vituperio narratur, immo approba-
 tur; Iob. I. 22 cum primis vero exemplum ipsius Θεανθρώ-
 που sanctissimi, de iuuenis illius Lazarique morte contri-
 stati, satis comprobant, tristitiam illam in se nihil vitii
 habere, et, ut reliquas sensationes naturales, per re-
 generationem non extirpari, sed sanctificari et emen-
 dari. Quid? quod aliqua propter mortem aliorum
 tristitia, non solum integra et salva nobis relicta, sed
 usque adeo praecepta est. Scilicet officiorum nostro-
 rum erga alios partem quandam constituit, quod de
 cuiusvis morte modice doleamus, doloremque no-
 strum

strum externis signis etiam declaremus; et quidem maxime, ut Christiani, ob praeparationis ad aeternitatem interruptionem, quoad eos qui, praevia interna instauratione in hac vita, mercedem futuram determinatura, ad aeternitatem nondum satis maturuerunt, observato tantum discrimine necessario, et officiis aliis, cum primis illis erga Deum, non posthabitis. Attamen, praeter hanc modo determinatam, eamque licitam et debitam tristitiam, datur quoque illicita et prohibita. Haec vero est immodica illa tristitia, quae iusto est maior et diuturnior; sive, quae magnitudine et durationis limites praescriptos transgreditur. Cavendum modo hic, Ine tristitiam magnam et diuturnam illico pro immodica habeamus. Tristitia in genere eo maior et diuturnior est, quo maiora vel plura sunt mala, et quo plenior clarior certiorque est horum cognitio. Haec si cum iis quae de morte, et modica propter eam tristitia, modo ante dicta sunt, contenduntur; patet, modicam tristitiam etiam esse posse magnam et diuturnam, atque diversos magnitudinis et durationis gradus admittere. At immodica tristitia, vel maximum, qui concipi potest, gradum attingit, et indefinens est, vel tamen maior et diuturnior est quam morti ipsi convenit. Ita praeterea est comparata, ut omnes alias cogitationes et meditationes, maxime eas quae animum fringere possent, opprimat, et tristes ad necessariam suorummetipsorum officiorumque suorum tantum non omnium observationem impotes efficiat; quo casu tristitiam cor implevisse dicit Scriptura, Metaphora desumpta de vase, liquore quodam adeo oppleto, ut omnem alterius accessionem excludat, Io. XVI, 6. Atque
 eius-

eiusmodi quidem propter mortem tristitiam esse illicitam et veritam, nulla probatione indiget, cum vel eam descripsisse sit refutasse. At quomodo eadem, si quidem semel cor implevit, tollenda, vel quomodo praecavenda, et quomodo tristitia temperanda est? Temperatur tristitia in genere, si tristes ea cogitamus quae lactificant; tollitur vero, vel et in gaudium convertitur, si cognoscimus: sive malum illud, quod adesse putavimus, si quidem fuerit malum verum, vere non adesse, sive plane non esse malum, sed potius bonum, sive esse malum minus, tandem finendum, et cum maiori bono, cuius ipsius obtinendi remedium est, commutandum; unde mali naturam ferre exuat, et pro malo adparente magis quam pro malo vero haberi debeat. Intelligemus ex his facile, totum illud temperandae tollendaeque tristitiae negotium eo redire, ut repraesentationes et cognitio eius rei de qua quis tristis est iudiciumque de ea in melius mutantur. Iam immodica maxime propter mortem tristitia ex insufficiente mortis cognitione, qua haec pro maiori malo habetur quam vere est, proficiscitur. Temperandae ergo tristitiae huic et tollendae inservire debet, si plenam et sufficientem mortis cognitionem, qua hanc pro malo minori, immo bono reputamus, acquirimus. Atque hoc fit, si omnia quae mortem consequuntur bona, non minus quam mala, cum eadem coniuncta, et in quibus solis immodica tristitia subsistit, consideramus, et bona malaque inter se contendimus. Hoc enim facto, reperiemus, bona mortem consequentia malis quae cum ea coniuncta sunt longe maiora et plura esse, adeo quidem ut mala vix

la vix in censum veniant, immo, tanquam bonorum illorum obtinendorum remedia, laetitiae, tristitiam temperantis et tandem tollentis, causa evadant. Ipsa piorum ab innumeris huius vitae miseriis, sub quibus vel ii qui omnium felicissimi videntur ingemiscunt, per solam mortem liberatio, mortem ut ingens Dei beneficium repraesentat, et tristitiam de morte valde temperare saltem iam potest, Gen. III, 22. XXV, 8. Rom. VII, 24. Sir. XLI, 3. 4. Magis vero adhuc erigimur, si cogitamus, animas piorum illico post beatam horum ἀνάλησιν in Abrahami sinum ab angelis abduci, et cum ipso Christo esse, Luc. XVI, 22. Phil. I, 23. Ac quanta haec felicitas! cum vita temporali, vel longissima et felicissima, haud commutanda. At omnium maxime nos erigere et exhilarare potest spes certissima, de ipso hoc corpore nostro, morte dissoluto, aliquando, qua easdem particulas potiores ex quibus in hac vita constitit, ad eandem compositionem restituendo, glorificando, et ad sempiternam ineffabilis beatitudinis fruitionem cum anima sua iterum coniungendo. Hoc scilicet verum immo optimum contra mortis dolores, ut cum Medicis loquar, est anodinum, sopiens, et confortativum; absque quo omnia reliqua, vel iunctim sumta, imperfectum solatium essentura essent. Ponamus enim, de corporibus nostris post mortem penitus et in aeternum actum esse; animarum nostrarum perduratione et statu beatorum erigeremur quidem, sed tamen adhuc quandam felicitatis partem deesse nobis semper videretur, eo quod anima amicissimum illum suum hospitem nunquam revisura esset; ne quid de felicitate piorum post resurre-

Etio-



ctionem, ut eam, qua solae ipsorum animae antea fructivae sunt, per se longe exsuperatura, dicam. Iam vero, quum corpora nostra, quantumvis in pulverem resolvenda, tamen ex umbrarum regione ad lucis usuram aliquando redibunt, atque tunc simul suavissima illa animae et corporis consuetudo, ad tempus interrupta, in integrum restituetur; ad consummatissimam felicitatem nihil amplius nobis deesse potest, adeoque morituri prorsus confidere possumus, morte qua animam et corpus absque noxa exstitura, immo, ut omnes res reliquae, Dei amatoribus ad bonum cooperatura, Phil. I, 21. Rom. VIII, 28. Sed abrumpo hic, et praemissis haecenus de tristitia propter mortem observationibus quibusdam generalibus, nunc ad ipsa verba Oraculi nostri: *ut ne contristemini* enucleanda progredior. Haec vero, cum antecedentibus et consequentibus collata atque resoluta, tres singulares propositiones efficiunt. Prima est: Apostolum non ignorare, quod Thessalonicenses, tam ob propriam, quam ob aliorum mortem temporalem, ad immodicam tristitiam se abripi humanitus passi sint. De immodica tristitia, nec de modica, Apostolum hic loqui, praeter ea quae in modicae tristitiae apologiam modo ante prolata sunt, comprobatur tristitiae Thessalonicensium cum immodica gentilium tristitia immediate post facta comparatio, tristitiam ab Apostolo significatam magis determinans; ipsius Verbi Passivi *λυπέομαι* forma et usu, iuxta quem hoc de tristitia permagna etiam dicitur, Matth. XXVI, 37. coll. v. 38. XIV, 9. coll. Marc. VI, 26. Matth. XIX, 22, coll. Luc. XVIII, 23. 24. suffragante. Observetur caeterum illorum temporum

mos ille, quo quidam vel de adventu Christi ultimo addubitabant, vel hanc doctrinam minus recte intelligentes et applicantes, pro magno quodam malo, immo pro irae divinae signo reputabant, si ante hunc adventum, veluti quem proxime instare arbitrabantur, obirent, sicque, post reliquas tristitiae propter mortem rationes communes, ob has quoque rationes peculiare, de morte nimia afficiebantur tristitia, coll. v. 15. 17. c. V, i. seq. 9. Altera propositio est: immodicam istam tristitiam, quocumque etiam nomine se se commendat, tamen oppido esse culpabilem et vitiosam; eandemque malae causae, ignorantiae scilicet in rebus ad statum futurum pertinentibus, malum esse effectum, sedulo removendum, et in gaudium convertendum, Ier. XXII, 10. Tertia denique propositio haec est: Apostolum, erga Thessalonicenses optime animatum, ipsi institutioni suae securitatis hunc praefixisse scopum, ut malum istum effectum una cum causa sua mala tollerent; sive, ut proposita de statu isthac futuro doctrina, ad tollendam praecavendamque immodicam propter mortem tristitiam, et aptissima et sufficientissima, cognitionem Thessalonicensium emendaret, eoque ipso, ab immodica tristitia, ratione sufficiente destituta, et inutili, eosdem avocaret, immo tristitiam eorum in gaudium converteret; neque solum hunc institutionis Apostoli esse scopum, verum etiam, si quidem Thessalonicenses institutione haecce, pro eo ac possent et deberent, immo et iuxta spem Apostoli, scopo illi convenienter usuri essent, eandem institutionem hunc habituram esse effectum, quod immodicam tristitiam deponerent, sicque cessante causa cessaret etiam effectus: quomodo utraque conjunctionis ~~no~~ notio,

tio, qua et τελικῶς h. e. finaliter vel intentionaliter, et ἐκβατικῶς h. e. eventualiter accipitur, coniungi poterit, Rom. VIII, 17.

Primariam posterioris partis principis Oraculi nostri locutionem sequitur secundaria, quae est illius accessio quaedam illustrans et comparans, atque verbis ultimis καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα sicut et reliqui non habentes spem comprehenditur. Spes vulgo subiective et formaliter sumitur, et sic illum animae adfectum denotat, qui in voluptate ex bono futuro consequendo, sive in grata boni futuri expectatione consistit; atque a fiducia ita quidem differt, ut haec, et maiorem voluptatis gradum, maiori certitudinis gradu innixum, et relationem boni futuri ad personam quandam beneficam, a qua expectatur, involvat. Itaque ad spei adfectum seorsim pertinet 1) qua eius obiectum, bonum aliquod, et quidem futurum. Sperare enim non possumus res, quas, si etiam nobis non sint noxiae, tamen et nihil nobis prodesse cognoscimus; neque sperare possumus bona praesentia, quae iam possidemus; licet continuatio et incrementum possessionis praesentis et fruitionis sperari possit. 2) qua subiectum, quod obiectum illud cognoscamus, pro bono agnoscamus, eiusque acquisitionem non solum possibilem, sed etiam, nisi certam, saltem probabilem reputemus, desideremus, et expectemus. Bona futura immediate quidem percipi vel sentiri non possunt, in antecessum tamen illis frui possumus cognoscendo, si quidem ea ita cognoscimus, ut nos eadem consecuturos esse simul, vel certi simus, vel saltem probabiliter sciamus. Hoc autem fundamento spei, vel rationibus eius innititur; quod fundamentum non.

nonnunquam in nexu rerum praeteritarum et praesentium cum futuris, a nobis cognito, nonnunquam vero etiam in asseverationibus et promissionibus alterius, qui eiusmodi bonum praestare, adeoque etiam promittere potest, consistit, et, pro diversa cognitione, vel plenam certitudinem, vel summam quandam probabilitatem efficit, II Cor. I, 6. Caeterum, quorum maiora sunt bona futura et certiora, quo certior horum expectatio, quo vividior, et quo magis convincens est cognitio; eo maior quoque est spes, vel, si haec ad personam quandam referatur, fiducia. Atque tantum de spe in genere, voce subiective et formaliter sumta. Praeter hanc autem, et frequentissimum, et proprium vocis usum, eadem in ipsa communi vita quandoque etiam improprie obiective et materialiter ipsa bona speranda, vel et horum expectandum principium, rationem, et fundamentum denotat; de quo posteriori usu improprio, ut communi, hic quaedam addere non attinet. Progredior ergo statim ad usum huius vocabuli biblicum, et ante omnia observo, utrumque illum, et proprium, et improprium usum, in sacris quoque locum habere, quando in his de spe sermo est, ita quidem, ut modo alteruter obtineat, quo casu improprius proprio fere frequentior est, modo ambo commode coniungi possunt, re eodem redeunte, quicumque usus eligatur, et utroque usu per se coniunctissimo. Atque ut ad specialiora descendam; vocabulum *ἐλπίς* primo subiective ipsum sanctissimum illum piorum affectum, ex fide oriundum, significat, quo pii in continuata unione cum Deo optima quaeris, ipsis vere profutura, tam

corporalia, quam maxime spiritualia, partim in hac vita, partim cum primis in futura, in posterum a Deo certissime expectant, Act. II, 26. XXIII, 6. XXVI, 6. 7. Rom. IV, 18. V, 2. 4. 5. VIII, 20. etc. coll. I Cor. IX, 10. Act. XVI, 19. De ipsis bonis sperandis mox specialius agetur, circa alteram vocabuli *ἐλπίς* significationem. Hic tantum formae spei inhaerendum est, vel relationi piorum ad obiectum illud spei. Iam pii 1) vivam ipsorum bonorum, quae sperant, cognitionem possident. Ad vivam enim spem eos regenuit Deus, 1 Petr. I, 3. idemque eis dat Spiritum sapientiae et revelationis, in cognitione ipsius, atque illuminatos oculos mentis eorum, ut cognoscant, quatenam sit spes illa, ad quam eos vocavit, Eph. I, 17. 18. 2) vivam quoque bonorum expectandorum principii et rationis cognitionem habent. Cognoscunt scilicet Deum, eiusque attributa, potentiam, sapientiam, bonitatem, et veritatem, speciatim: cognoscunt promissiones divinas, de quovis bono in coniunctione ipsorum cum Deo iisdem impertiendo. Hae vero promissiones, eaeque vel solae, et implendae, expectationis fundamentum efficiunt, si quod aliud, certissimum. Quod si ex nexu rerum contingentium, vel aliunde, bonum quoddam futurum derivamus et expectamus; spes illa, nisi imaginaria sit, tamen plus coniecturae vel probabilitatis, quam certitudinis habet, antequam promissionum divinarum fundamentum accedat; eademque magis pro intellectu, attentionis et praevisionis nostrae exercitio quodam, quam pro praestatione officii illius erga Deum Christiani, quod spem vocant, haberi debet; eo quod expectatio

xxi

tio illa in Dei promissionibus non est fundata. Hoc vero promissionum divinarum, earumque adimpletionis, fundamentum si adfuerit, etiam si bona speranda rationi vel maxime essent incomprehensibilia, et opposita verisimilia, quod hic illic contingit, tamen de bonis futuris, tanquam de iam praesentibus, certi esse possumus; idque eo magis, si et propria et aliena promissionum iam impletarum experientia in eo confirmamur, quod Deus, omnia requisita ad spem in eo reponendam habens, et ut talis iam agnitus, promissiones suas etiam in posterum implere possit et velit, II Cor. I, 10. IV, 6. II Petr. I, 3. 4. 3) pii tota sua cognitione, tanquam viva, hoc est, cum motu voluntatis et agendi rationis determinatione coniuncta, ita utuntur, et fruuntur, ut ipsa bona futura cum continuo et ardente desiderio, veruntamen etiam cum patientia et aequo animo, certi laetique expectent. Sive, ut phrasibus biblicis, dicta optime illustrantibus et confirmantibus, utar: expectant beatam (h. e. laetam) spem et apparitionem Iesu Christi, Tit. II, 13 coll. Act. XX, 35. spe gaudent, Rom. XII, 12. semper parati sunt ad apologiam cuiusvis poscenti ab illis rationem de spe quae in iisdem est, I Petr. III, 15. abundant in spe, Rom. XV, 13. parrhesiam et gloriationem spei usque ad finem firmam retinent, Hebr. III, 6. coll. II. Cor. III, 12. Rom. V, 2. Col. I, 23. Hebr. X, 23. spem habent ut ancoram animae, et minime lubricam (tutam) et firmam, et ingredientem in interius veli, Hebr. VI, 19. induunt spem salutis ut galeam caput cingentem, I. Thess. V, 8. coll. Eph. VI, 17. non confunduntur a spe, Rom. V, 5. coll. Ps. XXII, 6. exerto quasi capite expectant revelationem filiorum Dei, Rom. VIII, 19. coll.

Phil. I, 20. ac sperantes expectant cum patientia, et per patientiam, Rom. VIII, 25 coll. I Thef. I, 3. Rom. V, 3. 4. Secundo spei vocabulum etiam in sacris litteris obiective et materialiter ipsa bona speranda, cum horum principio ratione et fundamento, frequentissime denotat, Rom. VIII, 24. Gal. V, 5. etc. Ante omnia hic nominandus est, bonorum futurorum etiam, horumque cognitionis et expectationis, principium et auctor, immo ipsum spei obiectum personale, Deus, in quem et in quo sperare, spemque reponere dicuntur pii, I Petr. III, 5. I, 21. I Tim. IV, 10. V, 5. VI, 17. Act. XXIV, 15. et qui Deus spei, immo ipsa spes propterea dicitur, Rom. XV, 13. Pl. LXXI, 5. In specie autem, appropriative et terminative, secunda S. S. Triados Persona principii et obiecti spei nomen sibi maxime vindicat. Haec enim partim redemptione sua effecit, quod bona futura promitti, promissa vero servari, piique bonis actu frui possint, partim ipsamet immediate et mediate bona futura manifestavit et promisit, partim vivam bonorum eorundem cognitionem, aequae ac promissionum vivam cognitionem applicationem et usum salutarem per Spiritum suum operatur, partim denique ipsummet spei obiectum, omniumque bonorum sperandorum prora quasi et puppis est, si qua alia Persona divina, maxime. Hinc in Christo homines pii spem reponere dicuntur, Rom. XV, 12. Eph. I, 12. ipsemet vero spes, et spes gloriae dicitur, I Tim. I, 1. Col. I, 27. Atque cum hoc spei principio et obiecto personali Christo arctissime coniuncti fideles, ab eodem, ex promissionibus ipsius, earumque complemento, quod fundamentum expectationis i-

tidem

tidem spes improprie dicitur, Col. I, 23. quaevis bona
 cum summi illius boni fruitione connexa, adeoque
 maxime spiritualia, corporalibus tamen non plane ex-
 clusis, iam per hanc vitam expectant, I Tim. VI, 17.
 II Cor. VI, 10. Veruntamen, cum felicitas fidelium,
 per hanc vitam ab illis possessa, sit modo imperfe-
 ctum initium, primitiae, praegustus, et arrhabo feli-
 citatis longe maioris, post hanc vitam, et maxime post
 resurrectionem mortuorum, manifestandae, et in ae-
 ternum perduraturae; spes fidelium statum illum post
 mortem et resurrectionem beatissimum maxime pro
 obiecto reali habet. Enimvero, si in hac vita tantum
 sperarent in Christum fideles; omnium hominum mi-
 ferrimi essent, ipso Paulo iudice, I Cor. XV, 19. Hinc
 idem hic Apostolus, aliique scriptores sacri, de sta-
 tu illo post mortem, resurrectione, et vita aeterna,
 horumque bonorum spe maxima, toties totiesque lo-
 quuntur. Se spem habere in Deo, quod futura sit re-
 surrectio mortuorum, iustorum et iniustorum, quasi
 nihil amplius sperans, aliquoties professus est Paulus
 Act. XXIII, 6. XXIV, 15. XXVI, 6. 7. XXVIII, 20.
 De eadem singulari spe, quae modo simpliciter et
 quasi *κατ' ἐξοχὴν spes*, modo cum adiuncto quodam,
 spes vitae aeternae, spes gloriae Dei, spes proposita,
 spes reposita in coelis, spes salutis, et forte etiam spes
 melior, per quam appropinquamus ad Deum, dicitur,
 agunt loca Act. II, 26. Rom. V, 2. Col. I, 5. I Thess.
 V, 8. Tit. I, 2. III, 7. Hebr. VI, 18. VII, 19. I Petr. I, 3.
 4. 13. I Io. III, 3. coll. v. 2. Atque etiam in nostro Ora-
 culo de spe laetissimae resurrectionis ex mortuis, ante
 se solius animae, post se vero et animae et corporis
 statum

statum beatissimum, vel vitam aeternam, comitem
 habentis, agi, contextus antecedentium et consequen-
 tium indubium sane reddit. Neque solum propria
 illa et subiectiva vocis *ἐλπὶς* significatio, qua sperandi
 actum significat, hic locum habet, licet haec proxi-
 me assumenda sit, verum etiam altera impropria ob-
 iectiva et materialis, qua eadem vox rem sperandam
 denotat, priori illi commode subordinari potest; ut
 sequentia magis declarabunt. Atque hanc spem *non*
habere dicuntur *reliqui* illi, a lectoribus fratribus di-
 stincti. Fideles non modo hic implicite, sed et alibi
 explicite *spem habere* perhibentur, coll. Act. XXIV,
 15. Rom. XV, 4. II. Cor. III, 12. X, 15. I. Io. III, 3. ubi
 idem *habendi* Verbum cum *spei* voce iunctum depre-
 henditur. Significantior est haec phrasid, et plus di-
 cit, quam simplex Verbum *ἐλπίζω*, si quoque *ἐλπὶς*
 subiective tantum sumeretur. Atque non minus,
spei voce obiective sumta, illud *habere* foecundum
 admodum est. Notetur modo, phrasin *habere ali-*
quam rem quandoque non solum capacitatem inter-
 nam et ius externum, huiusque, aequae ac rei possessae,
 cognitionem in possidente supponere, sed quoque si-
 mul includere, quod possessor rem illam vere et notabi-
 liter sibi acquirat, acquisitam tanquam peculium pos-
 sideat, ea quocunque modo utatur, fruatur, eam
 exhibeat et demonstrat, immo et augeat ac retineat;
 quomodo, post alia, apparentiae, imaginationi, vanae
 gloriationi, itemque iacturae rei iam quidem acqui-
 sitae, sed deinceps amissae, opponitur; quae poste-
 rior continuationis notio Participio Praesenti magis ad-
 huc indicatur. Itaque fideles spem veram resurrectionis
 laetiffi.

laetissimae, et annexae vitae aeternae, vere sibi acquisiverunt, acquisitam vero per totam vitam temporalem constanter retinent, atque hoc ordine ipsam laetissimam resurrectionem, vitamque aeternam, tandem consequuntur, sic vitam aeternam spe et actu habentes, coll. Io. III, 15. I. Io. V, 12. Secus vero se habet cum illis *reliquis*, non habentibus *spem*. Duplex Articulus Graecus, in his verbis obvius, ea fortius restringit ad certum Subiectum, fratribus piis oppositum, cui Praedicatum elliptice omissum *λυπῶνται contristantur*, vel *ποιῶσι faciunt*, coll. I Theff. IV, 5. conveniat. Ipsum *οἱ λοιποὶ reliqui* ellipticum videtur, ex Luc. XVIII, 11. Apoc. IX, 20. per *τῶν ἀνθρώπων hominum* supplendum. Sunt vero illi reliqui, in genere, omnes cum Deo per fidem non propius coniuncti homines, et speciatim ac maxime quidem, idolorum cultores, quos Apostolus alibi etiam *τὰς λοιπὰς* vocat, eandem vocem modo per *τὰ λοιπὰ ἔθνη reliquae gentes*, modo simpliciter per *τὰ ἔθνη gentes*, quo nomine ethnici saepius Iudaeis opponuntur, explicans, et de quibus idem illud, quod *spem* non habeant, Eph. II, 12 asserit, coll. v. 11. 3. IV, 17. Rom. 1, 13. I Theff. IV, 5. Matth. VI, 32. Deinde paulo remotius sub *reliquis* etiam comprehenduntur ii, qui quamvis non sint idolorum cultores, tamen infideles sunt, vel non conversi; re ipsa hos includente, idemque confirmantibus locis parallelis Luc. VIII, 10. XVIII, 11. I Theff. V, 6. coll. Rom. XI, 7. Vtrique quidem, aequae ac fideles, *spem* habere possent, tanquam et ipsis vocatione divina oblatam, sed, hac vocatione non accepta, nec actu *spem* habent, *spem* vero non habentes, qua tales, et quam

D

diu

diu tales sunt, (quam emphasin Participium Praesentis habere videtur) immodica propter mortem tristitia afficiuntur. Omnium minime spem habent idolorum cultores. Cum enim Deum verum, eiusque propriam revelationem, ex qua sola de statu post mortem et resurrectione certiores reddimur, non cognoscant et agnoscant, adeoque principio et fundamento certo expectationis destituantur, quomodo hi laetam resurrectionem, statumque futurum beatum sperarent? tantum abest ut rem sperandam consequerentur. Et licet aliqui illorum quasi per transfennam aliquid de statu futuro viderint, horum cognitio tamen et minima et maxime incerta fuit. Hinc etiam, si ab uno alterove discesserimus, qui immodicam propter mortem tristitiam ut illicitam damnavit, reliqui tristitiam suam immodicam insanis ritibus satis testatam fecerunt, quid? quod a blasphemis in Deos suos ne quidem temperare sibi potuerunt. Quoad reliquos autem homines impios, si vel maxime hi verum Deum externe colant, tamen vel de toto statu post mortem et resurrectione futura, ut rationi ipsorum non satis respondente, nihilominus addubitant, interna Spiritus S. convictione, omnem humanam demonstrationem post se relinquente, carentes, vel si etiam de hisce veritatibus ex revelatione divina se plene convictos putant, attamen, per ipsum statum suum, nec quoad semetipsos laetam resurrectionem vitamque aeternam beatam sperare, nec quoad alios illis veritatibus, quarum vivam cognitionem non habent, recte uti possunt, hincque desperantes potius quam sperantes immodica etiam tristitia mortis causa afficiuntur. Quod
deni-

denique ad illas particulas *καθὼς καὶ* sicut et attinet; haec quidem vel abundat, et concessiva saltem est, hoc sensu: non soli vos immodice contristamini de morte, habetis quidem et aliorum exempla, quae tamen non pro vobis, sed potius contra vos militant; vel intendit et auget, q. d. tristitia quadam afficimini, qua usque adeo ipsimet ethnici afficiuntur, adeoque ethnica est tristitia, coll. I Cor. I, 8. Phil. II, 5. Altera particula *καθὼς*, aequae ac *ὡς*, alibi modo est aetiologica, rationem et motivum quoddam indigitans, per quia siquidem reddenda; modo est asseverativa, rei certitudinem, maxime ex oculari inspectione, demonstrans et confirmans; modo est comparativa, rei comparatae simile, exemplar, typum et formam exhibens; quae ultima significatio maxime huius loci est, prioribus tamen non penitus exclusis, I Cor. I, 6. Eph. I, 4. V, 2. 3. Phil. I, 7. Col. III, 13. Coronidis loco propositiones singulares, ex complexu verborum: *sicut et reliqui non habentes spem* contristantur, derivandas, tantum adhuc indico. Prima est: idolorum cultores maxime immodica propter mortem tristitia affici; et, cum similitum similis sit ratio, etiam alios, non fratres spirituales dicendos. Secunda: mirum videri hoc plane non debere, et excusari posse illos, tanquam immodicae propter mortem tristitiae causam habentes, tristitiamque illam vincere non valentes; eo quod unicum tristitiae propter mortem temperandae et vincendae remedium sit spes viva et certa status post mortem, resurrectionis, et vitae aeternae beatissimae, ex sola revelatione divina propiore certo derivanda; quam vero spem, qua tales, et

quam diu tales, nec habeant, nec habere possint. Tertia: Theſſalonicenſes, tanquam fideles, habere illam ſpem, quod ipſum eorundem diſcrimen et prae-rogativam quandam prae illis efficiat, dummodo ea uterentur; uti vero ea poſſe et debere ad temperandam vincendamque propter mortem triftitiam; quomodo immodica triftitia apud eosdem deſineret. Quarta denique: Theſſalonicenſes ſimiles fieri illis non habentibus ſpem, diſcrimen et prae-rogativam ſuam prae illis, cum ipſis veritatibus revelatis de rebus ultimis, actu abnegare, ſi, ſpe ſua non uſi, immodice propter mortem contriſtarentur; id quod non, ut apud illos non habentes ſpem, excuſari poſſit; atque etiam excellentiam ipſorum plane non deceat.

Postquam haec ad uberrimum illud Oraculum pro virium mearum tenuitate commentatus ſum; revocat me ad ſe is, cuius cauſa ea ſcripſi, Vir quondam Illuſtris, Experientiffimus et Ampliffimus, IO. GOTTLÖB KRÜGERVS, ipſe nunc *ἐκ τῶν κεκοιμημένων.* Obdormiit itaque KRÜGERVS? immo vero obdormiit, et obdormiendo omnes qui illum noverunt haud parum contriſtavit. Brunſviga illum, SERENISSIMI PRINCIPIS iuſſu, rei pharmaceuticae reformandae operam ſuam adcommo-
dantem, ultra tres meſes ut hoſpitem poſſidebat, de hoc hoſpite ſibi iure gratulans: Helmſtadium vero aegre dimittebat, dimiſſumque indies reducem avidiffime exſpectabat civem ſibi utiliſſimum, quo non ſine magna iactura tam diu carebat. Ipſemet Noſter, qua ferebatur in Helmſtadium animi propenſione, ad hanc alteram ipſius patriam quam primum revertendi, atque in ea
manen-

manendi, desiderio maximo afficiebatur. Hinc, cum emensus fere ex voto iam esset stadium illud, quod decurrendum ipsi imperaverat PRINCEPS SERENISSIMVS, ita ut quod reliquum adhuc erat Helmstadii decurrere commode posse videretur; de reditu ad Helmstadium, clementissime sibi permittendo, submisit rogabat, atque, de eodem impetrando nullus dubitans, se propediem esse rediturum, suos litteris certiores faciebat, iter meditabatur, et vasa iam conclamabat. At o fallaces hominum spes! o ancipites rerum vicissitudines! Quum vel eo res cum Nostro iam redierat, ut proxima hora reditus ad Helmstadium ipsi clementissime permitteretur, subito apoplexia corripitur, et moritur. Bone Deus, quam impervestigabiles sunt viae tuae! Inexpectata prorsus tempestas defaeviit, ceciditque fulmen minime provisum. Eone itaque eventu Helmstadium Brunsvigae KRÜGERVM suum quasi mutuavit, ut hunc ab illa nunquam reciperet, et ne quidem vivum reviseret? Ita vero sane est! Fuit haec Helmstadii quondam felicitas! fuit, eheu! KRÜGERVS, iucundum Helmstadiensibus nomen, civium amor, Medicorum et Philosophorum ordinis columen, totius Iuliae Carolinae insigne decus et ornamentum: fuit, inquam, et, quod omnium maxime legendum est, in medio vitae praeclaræ cursu, quum quadragesimum et quartum annum vix egressus esset, peregre obiit. Non amplius ex incomparabili KRÜGERI ore pendebit caterva Studioforum, ad acroaterium, veluti diurnam sitim explendi causa, confluentium. Non amplius aegrotorum miserorum turba eiusdem ope et con-

filio iuvabitur. Non amplius amicorum chorus iucunda ipsius conversatione fruetur. Abiit, absuit, obiit: nec quidquam, nisi tristis praeteritorum memoria et desiderium, Helmstadio relictum videtur. Neque tamen sola haec urbs, sed simul tota res publica, et maxime quidem litteraria, KRÜGERI morte insignem iacturam passa est. Enimvero KRÜGERVS, omnes boni Civis et Doctoris academici partes explens, non poterat non etiam exteris fieri utilissimus. In utraq̃ue, quam ultra vicennium exornavit et auxit, Academia, et patria Halensi, et nostra Helmstadiensi, non solum diligentissime docendo et disputando, quam plurimos eruditos viros, qui rei publicae iam profuerunt, et in posterum adhuc proderunt, formabat et perpoliebat, verum etiam, in exterorum maxime usum, scriptis bene multis, quibus, ut promotoribus suis, Medicina, tam theoretica quam practica, Philosophia, maxime naturalis, et Mathesis plurimum debent, doctrinae suae reconditae thesauros expromebat. Atque qualis erat in scholis, talis etiam erat in scriptis. Nimirum, et docebat, et scribebat, libere quidem, sed tamen naturaliter, ordinate, perspicue, pure, solide, atque, quod KRÜGERO quasi proprium erat, et conversationem cum ipso etiam tam iucundam efficiebat, cum lepore, gratia, et suavitate. Haec vero scriptorum KRÜGERIANORVM in specie attributa communia, una cum ipsis scriptis a toto erudito orbe tanto adplausu excepta sunt, ut horum plurima aliquoties iam excusa, quaedam vero ab aliis eruditis, in exteris quoque Academiis, in praelectionibus explicata, et fundamēti

menti loco posita sint. Atque hac via maxime KRÜGERVS magnam illam famae celebritatem, quam vivus iam habebat, et post fata etiam retinebit, consecutus est. Testes sunt huius famae varii, ad quos ascendit, honoris et dignitatis gradus. Testes sunt avocationes ipsius ad Vitembergensem, Ienensem, et ipsam Petropolitanam Academiam, cum laucissimis pollicitationibus coniunctae. Testes sunt eruditissimorum virorum, praesentium et absentium, amicitiae, coram et litterarum commercio, propter merita significatae. In specie vero Testis est, qui primo nominandus erat, Ipse Sapientissimus Noster CAROLVS, quippe KRÜGERVM singulari clementia dignatus, eamque eo testatus, quod non solum ultimo tempore in reformanda re pharmaceutica (cui vero negotio, Ipso dolente Principe, immortuus est) sed et antea, in rebus ad fontem medicatum Helmstadiensem et nitrum conficiendum pertinentibus, dexteritatem et fidem ipsius, non sine summi beneplaciti testificatione, experiretur. Quae cum ita sint, quis dubitet, universam rem publicam cum KRÜGERO plurimum amisisse? quis miretur, exterorum quoque doctissimorum virorum Musas contristatas funeri huic tristi elogio parentare? Sed quo abripior? satis mihi quidem iam luxisse videor eum, qui aliis forte nunquam satis lugeri posse videbitur. Vincam equidem luctum, et in eo contra dolorem medicinam quaeram, quod KRÜGERVS pie obdormiit. Adversa, qua Noster per ultimum maxime vitae tempus conflictatus est, valetudo, et aliis et ipsimet omnem longaevitatis spem praeripiebat. Ipsemet de morte sua, tanquam forte non procul

XXXII

cul absente, erga amicos loquebatur; seriis, quoad eandem hominumque mortis respectu metum, meditationibus vacabat; patientiam suam, in sustinenda adversa valetudine, a Deo immissa, ex animo profitebatur, filium natu maximum cum primis ingeniose ab omni contra Deum eiusque vias murmuratione avocabat; sibi que canticum illud sacrum, quod incipit: *Habe* (accipe) *gratias, mi probe Deus*, tanquam statui ipsius apprimè adcommodatum, ad meditationem enotabat. Sic mors KRÜGERVM haud imparatum offendit: sic Noster vitam hance, et ipsi aerumnosissimam, cum meliore vita commutavit, moriendo, secundum Apostolum, lucratus.

Atque sic quiesce a laboribus tuis, desideratissime KRÜGERE! Quiesce, et dormi, qua corpus Tuum collapsum, usque ad laetissimum illud evigilationis et resurrectionis tempus; quiesce, qua animam Tuam iam glorificatam, in manu Dei; amplifica nunc, prouti potes, cognitionem Tuam; et Deo immediate frueri. Gratias Tibi agunt proximi illi Tui, superstites relictæ, pro quibusvis a Te in illos profectis beneficiis; gratias Tibi agunt omnes discipuli Tui, pro solida et fida institutione Tua; gratias Tibi agunt omnes quos consilio et ope adiuvisi: gratias Tibi agunt omnes amici Tui, pro candida Tua amicitia: gratias denique et ego ago Tibi, quem Deus mihi largitus est, non amicum solum et cognatum, sed simul parentem, alterum potius quam secundum.

P. P. Helmstadii, in Acad. Iul. Car.
die IV Dec. MDCCLIX.



AB: 194322


ULB Halle 3
003 249 751




sb.

12







DE
LAETISSIMAE RESURRECTIONIS
SPE CERTISSIMA
VT
CONTRA DOLORES EX PIORVM OBITV
ANODINO OPTIMO
AD I THESS. III, XIII.
COMMENTATIO.

MEMORIAE
VIRI ILLUSTRIS EXPERIENTISSIMI
AMPLISSIMIQUE
IO. GOTTLÖB KRÜGERI

MEDICINAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET VTRIVSQUE IN ACADEMIA
IVLIA CAROLINA PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIJ ACADEMIAE CAESARAE
NATVRAE CVRIOSORVM ET REGIAE BORVSSICAE SCIENTIARVM COLLEGAE
SOCIETATIS TEVTONICAE REGIAE GÖTTINGENSIS
ET DVCALIS HELMSTADIENSIS
SODALIS

VIRI MERITISSIMI
BRVNSVIGAE D. VI. OCT. A. MDCCLIX.
PRAEMATVRA MORTE EXSTINCTI
CONSECRATA

A
PIE DEFVNCTI COGNATO ET AMICO
CHRISTOPHORO AVGVSTO BODIO
LINGG. O. O. IN ACAD. IVL. CAR. P. P. E.

HELMSTADII
LITTERIS SCHNORRIANIS,